



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

40 Matrimonium consensum liberum requirit, & metu reuerentiali patris contractum, fit nullum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

Et siera promittendo centum pro dote, ea promissio infra tempus boni viri arbitrio declaranda, cap. de causis, de off. deleg. quale est tempus novem annorum; vnde cum mora sua cuiuslibet esse debet notitia, Reg. Mora. de reg. iu. in 6. potius heret, quam ancillæ nocere debet; & ideo vel centum pro dote, vel salarium honestum cuiuslibet anni fermitatis ancillæ per solvere tenetur.

DECISIO XXXVI.

Ex cons. 32. alias 2. de rapto.

**M**atrimonium cum puella invito patre rapta, ipsa volente, & consentiente, & sine solennitate contractum post Concilium Trid. sess. 24. ca. 6. de ref. mat. non solum est nullum, quando non adest præfens parochus legitimus, nec alius presbyter de illius, vel ordinarij licentia, aut testes: sed etiam quando puella a raptore in loco tuto non est posita, & libere, & voluntarie in raptum postea consentit; Rapta vero dicitur quæ contra voluntatem patris de domo eius abstrahitur, sine id de voluntate, siue contra puellæ voluntatem fiat, ex S. Tho. 2. 2. q. 159. art. 7.

DECISIO XXXVII.

Ex cons. 33. alias 11.

**C**ontrahens sponsalia de futuro cum septenni, vel Matrimonium per Procuratorem cum puella nubili etati proxima, cap. literas & cap. accessit. de despon. imp. quæ mortua est etiam, priusquam Matrimonium consummatum sit, cum sorore præfate puellæ, propter impedimentum publicæ honestatis, quod est inter contrahentem, & consanguineos primi gradus prædictæ puellæ mortuæ, & sororis eiusdem, contrahere nequit ex Conc. Tri. sess. 24. cap. 3. de ref. matr. & Pio V. in extr. Ad Roman. An. 1566. sicut nec soror aliqua præfate puellæ mortuæ, alicui ex consanguineis sponsi contrahentis in primo gradu nubere potest. ca. sponsam. de sponsalib. & Nau. in Man. c. 22. num. 57. A firmitatis vero impedimentum non oritur nisi ex copula carnali.

DECISIO XXXVIII.

Ex cons. 34. alias 9.

**P**uella quæ contraxit sponsalia de futuro cum aliquo, qui postea propter sua crimina bannitus fuit, sine vlla dispensatione, libere, & legitime alij nubere potest: eo quod sponsalia de futuro dissoluntur, quando superuenit aliquid, quod si a principio interuenisset, verisimiliter contracta non fuissent. cap. quemadmodum. de iureiur.

DECISIO XXXIX.

Ex cons. 35. alias 3. de eo qui dux. in Matrim. quam polluit per adult.

**Q**ui viuentem uxore priore longe ab eo degente, & motu timore mortis eius cum alia publicè contrahit mortua priore uxore, cogi potest, & debet iterum cum secunda, habita dispensatione quoad vtrumque forum super impedimento quod ex adulterio nascitur, contrahere, ca. de eo qui dux. in matrim. quam polluit per adult. vel eam deceptam dotare. cap. 1. & 2. de adul. quod matrimonium secundum denuò vel sub denunciationibus, vel ad maiorem cautelam etiam coram parochio, & testibus, tacita causa nullitatis contrahere, & instrumento Notarij munire est vile; in Nau. in Man. c. 16. num. 16. & 36.

DECISIO XL.

Ex cons. 36. alias 10. de his quæ vi, met. caus. fiunt.

**P**uella sub Curatoris potestate constituta, & metu, & reverentia ipsius curatoris per se, & alios illum incutientis, sponsalia cum aliquo iuvene, & successivè Matrimonium contrahentes, nullum est, si tam ante ipsa sponsalia, vel etiam post contracta sponsalia antequam Matrimonium contraheret, protestetur expresse coram testibus si de dignis, se cum illo nullatenus contrahere velle, adeo vt si contingeret illam dicere aliqua verba, quibus se consentire significaret, dicturam se illa contra mentem & voluntatem suam ob metum, & reverentiam sui Curatoris, & aliorum suorum amicorum, vel familiarium; quia Matrimonium liberum partium consensum, & non coactum necessario requirit: c.

cum locum. de spons. & cap. sufficiat 27. q. 2. & cap. notificati. 31. q. 5. omnis autem reverentia, quæ operatur tantum quod illa non interueniente actus non fieret, tollit consentium, & actum rescindit l. 1. §. quæ oneranda. ff. quarum rerum actio non datur, & gl. oibi. & cap. 1. §. porro. de despon. in 6.

DECISIO XLI.

Ex cons. 37. alias 4. deo, qui dux. in Matrim. quam pol. per adult.

**Q**uiam ante Concilium Tridentinum cum vna contraxit, & postea illa viuentem cum secunda in facie ecclesiæ contrahit, ex qua, viuentem priore, filios habuit, priore uxore legitima mortua, denuò cum secunda, nouo præfiteo consensu, & non alias Matrimonium contrahere debet, quia Matrimonium, quod ab initio fuit nullum, ob aliquod impedimentum validari non potest, nisi de nouo contrahatur. Possunt autem de nouo clam absque scandalo contrahere, eo quod omne Matrimonium inualidè contractum in facie ecclesiæ, etiam post Concilium Tridentinum denuò clam & secrete contrahi potest, prout vsus sacre Penitentiarie de consensu Papæ obseruat, v. ait Nau. in Man. c. 22. n. 11. 47. & 86.

DECISIO XLII.

Ex cons. 38. alias 5.

**C**atholicus cum heretica ante Concilium Tridentinum & etiam post illud, in locis, in quibus idem Concilium publicatum non est, vel non sunt lapsi triginta dies a publicatione facta, & multo magis vbi Concilium receptum est, sponsalia de futuro contrahens, consecuta etiam copula carnali, Matrimonium cum eadem contraxisse iudicandum non est, quandoquidem omnis promissio rei turpis, (qualis est catholici de Matrimonio cum heretica contrahendo) & quæ sine sacrilegij peccato impleri non potest, ipso iure nulla est, in malis promissis. 22. q. 4. vnde & sponsalia præfata nulla omnino censenda sunt, & proinde nullum effectum Matrimonij producere possunt. Arg. c. non præstat. de reg. iur. maxime cum iura, quæ sponsalia de futuro per copulam carnalem subsecutam Matrimonium facere affirmant, ex c. is, qui fidem de sponsal. saltem præsumptum, post Concilium Tridentinum sess. 24. c. 1. de ref. matr. cessant, ita Nau. in Man. cap. 25. nu. 144. & etiam de sponsalib. validis non de illis, quæ ipso iure nulla sunt, intelliguntur. Nec vspiam sponsalia ipso iure nulla effectum Matrimonij per copulam subsecutam producere expressum reperitur.

DECISIO XLIII.

**S**ponsalia catholicorum valida per copulam carnalem subsequentem ante Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de ref. matr. in Matrimonium ea de causa transire censentur, quod sponsus sponsam cognoscens illud animo consummandi Matrimonium fecisse præsumitur, ne in dubio peccasse iudicetur; vnde cum catholicus hereticæ promittens cum ipsa contrahere, illam uxorio affectu cognoscendo peccatum non curat, sed potius illam tali affectu cognoscendo, & eam illa contrahendo, magis peccat, quam eandem affectu fornicario cognoscendo, eo quod in hoc casu grande sacrilegium committit, vt aiunt Doctores in 4. d. 39. per copulam carnalem subsequentem sponsalia completere velle, aut Matrimonium consummare, iudicari non debet.

DECISIO XLIV.

**Q**uamuis catholici sponsalia ante Concilium Tridentinum, & post illud etiam in locis, vbi illud receptum non est, de futuro cum heretica contracta, ex sola copula carnali subsecuta, in Matrimonium non transcant, quia in dubio illum non voluisse ea complere præsumitur: si tamen propria eorū confessione, aut alijs sufficientib. signis, puta per cohabitationem mensuram, aut aliud tempus, de hominodi uxorio eorū affectu constet, in Matrimonium transisse censentur: quamuis enim Catholico Matrimonio cum heretica